

DEO OPT. MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ, Orthodoxorum Medicorum Patrono,

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS mane diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis ſecundâ menſis Aprilis, Anno Domini M. DCC. LXVII.

M. ANNA-CLAUDIO DORIGNY,

Doctore Medico, Præſide.

An Pariſinis ſalubrius vere quàm autumno ruſticari?

I.



EMINEM latet, aëris ſalubritati in maximis urbibus nocere & frequentium altitudinem ædificiorum, & incolarum multitudinem; adeò ut, ſi rure numquam ſudetur urbanos undique circumſtet teterrima morborum cohors. Perpetuâ enim aëris inquinatione ejus imminuitur elaterium; pulmones minùs expanſi ſanguinis circulo torporem inferunt, ſtagnationes imminent pejorum nunciæ. Adde nocua quæ in pectore nidulantur miaſmata; hinc in proximo ſunt aſthma, pthiſis: ſi morbi ſedes in pulmonibus non

hæreat, obstruuntur alia viscera, mala oritur humorum diathesis; hæc vitia non rarò promovet prava digestio. Vides quot civium membra deformet macies; marcidus vultu insidet color; ubique hominum effigies pro hominibus apparent fati inexorabilis ludibria. Quorum quidem triste præbet exemplum magna illa in quâ vivimus Lutetia. Et si eo aspectu sita videatur, ut commodis abundet omnibus quæ ad locorum sanitatem requirit Hyppocrates; (*a*) ea tamen est ejus magnitudo, ut quæ insigne illud Galliæ caput extollunt, eadem ejus imminuant salubritatem, situmque opportunum infestent. Quisquis ergò nostrûm sanitati suæ consulit, is identidem urbanas ædes fugiat & ad rura convolet, pharmacum eximiæ dotis, aërem commutando, quæsiturus. Et quot amœna loca circà Lutetiam adeò ridentia non videas, ut totidem Tempe dixeris; seu quâ Medonici, aut Surenæ colles assurgunt, seu quâ confluentis Matronæ undis auctior Sequana Yvriacos inter campos, villamque Berciacam reginæ urbi allabitur. His in locis ut & in aliis bene multis (*b*) quos hîc recensere longum esset, cujusvis ætatis ac conditionis homines omnium deliciarum illecebræ pertentant. Cum verò urbanis omnibus perpetua camporum non sinatur habitatio; illud ad rusticationem seligendum est anni tempus, quo integra persistere aut restitui possit eorum sanitas.

I I.

NON enim æquè utilis est tempestas quævis, cum eadem continuo cursu non regnet temperies. Nullum campis hieme decus, frondes humi jacent sine honore: frigidus stridet aquilo, importuno frigore aër horrescit, quo mox delicatula urbanorum membra corriperentur, eorumque brevi prosterneretur sanitas. Per æstatem in campis immodico fervore aër æstuat; urbani verò frigus captant in atriis arte dispositis, defervescente calore hortos perambulant. Illa itaque seligenda est tempestas, quæ rusticantes alliciat, quæ suâ temperie plurimos præcaveat morbos, quæ sanitatem restituat, conservet, stabiliat, quæ corpori denique omnia comparet commoda, quæ grato rerum aspectu mentem exhilaret, curis studioque exhaustam reficiat; adeo ut juvenibus firmiora crescant organa, omnes veluti balsamo perfundantur humores, sicque vegeto corpori constans præsit animus: ab ætate mediâ removeatur senescendi necessitas, senisque baculum risus & joci circumvolent. Has dotes rusticantibus offert sola veris tempestas.

I I I.

VERNÆ tempestatis dotes à Poetis non semel celebratas omnes norunt. Sunt & aliæ quæ ad medicam tantùm artem pertinent; eæ nimirum quibus hominis dies melius nitent. Benigno reserantur calore omnia cutis spiracula, corpus humoribus superfluis & nocuis fœtum ab omni sorde liberatur. Aër amico & salubri pulmones recreat tepore: viscus illud levat facilior pulmonalis transpiratio, nec nocuus illud inficit vapor. Cor & arteriæ feliciùs micant, sanguis aquosior liberiùs omnes permeat partes. Juniores herbæ: Deli-

(*a*) Hyp. de aëre, aquis & locis.

Thesis M. Ankey. *An Parisiis præsertim* [illegible] *rusticari?* 1734

catioribus & ſuavioribus paſta animalia delicatiorem ſuavioremque ſuppeditant ſuccum, quo remittuntur paululum ventriculi fibræ, ejusdem minuitur calor. Quæ vere germinant vegetabilia, ſuccis turgent acidulis et ſaponaceis, ſicque illum reſolvunt qui hiemali otio ob minorem perſpirationis efficaciam aggeſtus fuerat humor pituitoſus. Sic & craſſiora repurgantur. (*a*) Hinc leviora corpora fiunt, (*b*) opportunè percolantur humores, ſpiritus tenuiores à ſopore redivivi in univerſam corporis molem influunt; ipſam mentem blandè afficit renaſcens natura reficitque molle otium. Quicumque fibris laborant gracilibus aut hypocondriacis affectibus, eorum ſanitati maximè proficit udus & calidior zephirorum halitus: neque minus inde levamen accipiunt qui aſthmate crucientur ſicco & convulſivo.

Tum violaria &
Myrthus & omnis copia narium, (*c*)

novum aëri puro inducunt vigorem quo citò redit convaleſcenti ſanitas, moribundi ab orcó eripiuntur. (*d*) Si macie totum fuerit affectum corpus, ſi pulmones tabe tententur, ubera pharmacopolarum pixidibus potiora porrigunt aſinæ, vaccæ, capellæ; mirè enim prodeſt lac vere ſumptum. Quod ſi obſtruantur viſcera, promptum adeſt in aquis à naturâ ipsâ medicatis remedium. Vernam tempeſtatem ſequitur aliud commodum ut, nempè adjuventur medicorum curæ, facilius v. g. ſcorbuto medearis, tabem ſuperes veneream, chronicos morbos citiùs profligas,

I V.

SUÆ verò ſunt autumno amœnitates; ſed in ipſo deliciarum ſinu quot gravia imminent pericula & quaſi inſidiantur morbi! Ea eſt aëris inconſtantia ut frigidus, calidus viciſſim & eodem die sentiatur; ſæpius vero frigus & humiditas dominium habent. Frigore cohibetur perſpiratio, corpora ponderoſiora fiunt. Humiditate ſegnior eſt aër quàm ut circulationem ſtimulet pulmones dilatando, ingurgitatur viſcus illud: indè anhelitus & anguſtiæ aſthmaticos tenent, imminet phtiſicis mors propinqua. Minimè elaboratus ſpiſſiorque ſanguis ſpiritus gignit effœtos non ſtudiorum tantum ſed et cujusvis exercitationis incapaces. Nec mediocria à cibo & potu oriuntur damna. Autumnus enim tempus epularum, tempus morborum. Perdicum leporumve carnibus aut aliis id genus paſcuntur, quibus humorum provocatur putrefactio; gratam ſed inſidam porrigunt eſcam innumeri fructus qui, ſi non Dyſenterias producant, viſcoſum & crudum præbent chylum; magis ac magis inſpiſſantur humores, Sunt qui liquores non ſatis fermentatos hauriunt ut nimium quo uruntur ardorem temperent, vel ſpirituoſos deglutiuut ut vapidum ſtimulent palatum aut reſolutas ventriculi fibras corroborent. Hinc multi & ut plurimùm contumaces ingruunt morbi, gravedines, febres diuturnæ, putridæ, intermittentes, alvi fluxus, apoplexiæ, comitiales affectus, obſtructiones, cachexiæ, pulmonum tabes, ſcorbutus, rheumatiſmus; &c. Autumno apud infantes laborioſa dentitio, rachitis, ſcrophulæ, vermes. Apud mulieres immodicus menſium fluxus, fluores albi & numeroſa hyſtericorum morborum cohors, à quibus malis corpus vindicare minimè ſufficiunt exhauſtæ per æſtatem vires.

(*a*) V. n Swiet Tom II
(*b*) Sanct. ſect. II.
(*c*) Hor. L. II. od
(*d*) Ant. Petit in ſuis prælectionibus.

V.

NEQUE verò hæc omnia in malam partem accipi velim, quasi veris laudator præposterus autumnum deprimere aggrediar, ut unicè vernam tempestatem extollam. Non quidem diffitebor catharros, gutturis inflammationes, anginas, fluxiones, febres, podagram veris delicias interturbare. Verùm morbos per se ver non producit. Ver enim ex propriâ naturâ nihil novat, sed si corpus bonis humoribus præditum reperit illud in eo statu servat, (*a*) Hinc galenus (*b*) non ineptè ver exercitationi comparavit, quæ & ipsa ubi adhibetur in corpore excrementis vacuo, salubris existit, si verò corpus excrementis plenum invenit, morborum fit causa. Dein morbi illi ferè omnes, ni speciali miasmate inficiatur aër, salubres habendi sunt & ipsius met naturæ habentur conamina quæ nedum eam lædant, illam expediunt. Nec opus est aleæ plenum eos præcavere morbos, si nempe eo utaris cibo quem undequaque prudens offert natura, si potu abundantiori, exercitiisque moderatis indulgeas. Non ita facile vitabis autumni incommoda; licet enim te vestibus munitum inveniat frigus, licet utaris diureticis, non omnes fugient morborum pestes. Hinc Fernelius, (*c*) autumnum habet perniciosum, quod annuo solis recessu plurima senescant, occidant, omnium vires emarcescente calore frangantur. Fernelio consentit Sanctorius (*d*) juxta quem autumnus insalubris est tum quia perspiratio à superveniente frigo e prohibetur, tum quia quod difflari prohibetur acre & mordax fit. Consentit etiam divus senex qui pronunciare non dubitat autumnum acutissimos morbos & maxime exitiales gignere, morborum veluti circuitus habere. Ex his pronum est concludere:

Ergò Parisinis salubrius vere quàm autumno rusticari.

(*a*) Sennert. inst. med. c. de aëre.
(*b*) Aphor. 20.
(*c*) De abditis morborum cau/
(*d*) Aphor. X sect. III.

Proponebat Parisiis JOANNES-AUGUSTINUS COUTAVOZ Parisinus, Saluberrimæ Facultatis Parisiensis Baccalaureus. Theseo Auctor. A. R. S. H. 1767. A sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facult. Medic. Typographi, 17